



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De conseruatione gratiæ, & de illius perseuerantia vsque ad
mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

aliā primò esse physicā, & illa sine dubio solus Deus est, ego sum qui deleo iniquitates tuas, gratia enim solius Dei esse potest opus ut patet.

Secundò, aliā esse moralem & meritoriam principalem illa est Christi Crux ex qua, sola fluunt torrentes gratiarum, hic enim fons est patens domui David in ablutionem peccatoris, & menstruata.

Tertiò, aliā esse causā moralem sed instrumentalem, sacramenta videlicet, in quibus velut vasis aureis repositum est balsamum istud omnem sanans languorem, verbum Dei & concionatores aut ministri sacramentorum.

Quartò, denique aliā esse causā dispositivā, actus videlicet peccatoris, quibus disponimur proximè ad introductionem celestis formæ, actus illi sunt necessarii saltem duo Fidei & charitatis, ordinariè autem sunt quatuor actus Fidei, actus timoris, actus Spei, ac demùm actus dilectionis super omnia, nam hic est progressus ordinarij triumphantis in nobis Spiritus Sancti, & plena hominis conversio ad Deum, ut fusè in tractatu de gratia dictum est.

Causa finalis iustificationis. Certum est quartò, causā finalem iustificationis esse primò gloriā Dei: *Omnes peccaverunt* (inquit Apostolus) & *egent gloria Dei*, unde iustificationem vocat Augustinus: *Maximam Dei magnificentiam*, omnia enim Dei attributa totam in ea magnificentiam suam exerunt: secundò gloriā Christi Mediatoris: *Prædestinavit enim nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua glorificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius secundum divitias gratiæ eius quæ superabundavit in nobis, ut habetur Ephesiorum 1.* Tertiò causā eius etiam finalem esse vitam æternam & glorificationem omnium electorum certum ex Apost. Roman. 6. *Habemus* (inquit) *fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.*

Ex his igitur causis non est difficile intelligere totum progressum divinæ natiuitatis & vitæ quæ non est aliud quàm origo gratiæ quam effundit Deus in animam ex meritis Crucis Christi, ut totam illam ad se trahat, & suæ diuinitatis gloria veluti perfundat.

SECTIO II.

De augmento & perfectione gratiæ sanctificantis.

Certum est primò, gratiam illam iustificationis in prima remissione semel acceptam augeri posse intensiue ac crescere gradualiter ad modum aliarum qualitatum, quæ augentur in eodem subiecto per additionem gradus ad gradum, alia enim est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, inquit Apostolus 1. ad Corinthios cap. 13. quia scilicet iusti sicut in gloria differunt, ita differunt in gratia, quæ augetur per bona opera, sanctorum enim semita quasi lux splendens procedit, & crescit vique ad perfectam diem. Huius autem augmenti & perfectionis gratiæ causas excogitare non possumus nisi quatuor.

Prima petitur ex actibus essentialiter & obiectiue perfectioribus: actus enim virtutum perfectiorum sunt haud dubiè magis meritoria gratiæ ac gloriæ quàm actus virtutum perfectiorum actus v. gr. charitatis virtutis specialis productiui maioris gratiæ quàm actus temperantiæ ac fortitudinis: Ideo magni momenti est elicere actus Theologicarum virtutum præsertim charitatis, & actus religionis quæ inter morales primum tenet locum, vel etiam actus aliarum virtutum elicere ex motiuis virtutum perfectis-

simarum, quia tunc actus illi externi habent meritum plurimum virtutum.

Secunda causa petitur ex actibus tum internis tum externis feruentioribus, id est elicitis cum maiori affectu ad motum virtutis, & præsertim placendi Deo. Certum enim est quod actus intensissimus æquiualeat innumeris actibus remissis ut postea dicitur, sufficit enim ad producendum habitum intensissimum, quem actus remissi vix innumeri producerent.

Tertia causa petitur ex actibus frequentioribus, cum enim nullus sit actus qui non augeat gratiam, certè quo illi plures fuerint eo maius erit augmentum gratiæ: unde patet, quàm facile sit augere gratiam, primò eliciendo plurimos actus internos virtutum perfectissimarum, secundò singulos actus externos eliciendo ex motiuis plurimum virtutum.

Quarta causa cæque certissima huius augmenti erit susceptio frequentissima & feruentissima sacramentorum, quia illa causant gratiam non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, unde si sæpe, si feruenter sacramenta suscipiantur crescet gratia in immensum, quia in ijs exercentur virtutum actus perfectissimi, feruentissimi & quamplurimi, ex quibus crescit etiam gratia ex opere operato. Vide Suarez lib. 9. cap. 1. & 2.

Certum est secundò, gratiam illam & sanctitatem crescere posse magis ac magis absque vllò termino, in homine quandiu est in via. *Operamini dum dies est* (inquit Christus) *venit nox cum nemo poterit operari*, atque ita nullum est tempus in quo non possimus negotiari, & in immensum diuitias salutis augere. Ratio est, quia status viatoris exigit ut semper accedere possimus ad terminum viæ, accessus autem ille augmentum est gratiæ, sicut recessus est amissio gratiæ. Deinde sicut nullus est status in quo Deus non det gratias sufficientes ad vitandum peccatum, sic nullus est status iustitiæ in quo non suggerat Deus auxilia quibus rectè operemur, & noua faciamus incrementa gratiarum. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc.* Neque tamen propterea sequitur fieri posse ut attingamus gradum gratiæ quem acquisiuit beata Virgo, vel etiam Apostoli, quia licet possimus elicere actus bonos perfectissimos, feruentissimos frequentissimos: non habemus tamen gratias sufficientes ad eliciendos actus adeò perfectos ut per eos euehamur ad gratiam illam beatæ Virginis.

Certum est tertiò, gratiam in homine viatore nunquam ita posse crescere, ut extinguat penitus in eo fomitem peccati, & rebellionem concupiscentiæ, quamuis propter habitus adiunctos valde illam minuat & assuefaciat appetitum rationi obedire: imò nec vnquam adeò perfecta gratia euadit ut per eam abstinere homo possit ab omni peccato veniali, nisi specialibus auxilijs præueniatur à Deo & confortetur ut patet ex secunda disputatione.

Superesset hic dicere per quos actus fiat augmentum gratiæ, vtrum actus etiam remissiores illam augeant, & qua proportionem illud augmentum fiat, quod dicitur commodiùs initio sequentis tractatus ubi de habitibus Theologicis sermo erit.

SECTIO III.

De conseruatione gratiæ, & de perseuerantia illius usque ad mortem.

Certum est primò, quod homo iustus gratiam in iustificatione acquisitam conseruare non potest per aliquod notabile tempus, nisi eliciat multa bona opera, sine quibus neque vitari potest peccatum, neque

Secunda causa.

Tertia causa.

Quarta causa.

Gratiæ augmentum sine termino.

Fomes peccati minuitur per gratiam.

Necessitas bonorum operum.

que salus obtineri. Sic enim contra huius temporis hæreticos negantes possibilitatem seruandi Mandata Dei, & necessitatem bonorum operum latè probant Doctores Catholici primò ex scripturis quas plurimas congerit Augustinus libro toto de Fide & operibus, & l. questionum ad Dulcitium q. 1. v. gr. ex 1. ad Corinth. cap. 13. habetur necessitas charitatis, & tota epistola S. Iacobi necessitas bonorum operum & apertum est dictum illud Christi Domini: Si vis ad vitam ingredi serua Mandata, & Psalmo 14. postquam dixit Domine: Quis habitabit in tabernaculo tuo. Concludit demùm, qui facit hæc non mouebitur in æternum, & Psalmo 56. Declina à malo & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam & inhabita in sacculum sacculi: quod expendens Ambrosius: Ne bona (inquit) malæque confundas, prius est vt crimine careas, postea vt innocentia fructum deferas si vis esse perpetuus. Deinde gratia tunc perit quando non obseruantur præcepta, ergo vt diu aliquis seruet gratiam necesse est vt bona opera illa eliciat quæ sunt in Præcepto. Deniq; auxilium illud speciale sine quo nemo vnquam conseruat gratiam nemini Deus largitur nisi per opera bona se ad illud quodammodo disponat.

Speciale
auxilium
necessarium.

Certum est secundò, quod nemo potest gratiam diu conseruare sine speciali aliquo auxilio quod ex propria ratione gratiæ debetur omnibus iustis, qui proinde omnes possunt semper conseruare gratiam. Ita enim probatum olim est cum dixi de necessitate gratiæ actualis, & iterum probari potest ex varijs scripturis 1. ad Corinthios 1. Qui confirmabit vos usque in finem sine crimine, vbi sine dubio sermo est de fidelibus iam iustificatis: & 1. Petri 5. Deus omnis gratiæ ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Deinde sic definitur in Concilio Arausicano 2. can. 9. in Tridentino sess. 6. cap. 11. & 13. & can. 22. Triumphat etiam in hoc argumento Augustinus præsertim lib. de bono perseverantia in principio, epist. 106. & sæpè alibi. Afferitque rationem lib. de gratia & libero arbitrio cap. 6. quia rebellio est nata concupiscentiæ tanta est, vt quantuncunque fuerit homo iustus, necesse omnino sit vt ambulet cum illo gratia, & super ipsum incumbat ne cadat, gratia verò habitualis affert quidem secum habitus quibus confortamur aliquo modo, sed fomitem illum integrum relinquit, ac proinde nisi adsint noua gratiæ auxilia moraliter est impossibile vt non excidamus à Dei amicitia. Hæc autem auxilia si fuerint efficacia vocari debent specialia & extraordinaria, quia non debentur ratione gratiæ neque omnibus sed paucis dantur: si verò fuerint solum sufficientia dantur omnibus iustis ac proinde non sunt dona extraordinaria: vt dictum est cum agerem de auxilijs sufficientibus quæ nemini negantur.

Perseuerantia est donum speciale gratiæ.

Certum est tertio, quod perseverantia & conseruatio gratiæ vsque ad mortem semper est donum aliquod speciale gratiæ, sine quo nemini vnquam contingit gratia finalis seu mors in statu gratiæ, sic enim definitur in Tridentino sess. 6. can. 22. Si quis dixerit hominem iustificatum sine speciali Dei auxilio in accepta iustitia posse perseverare vel cum eo non posse, anathema sit: & can. 26. vocat Magnum illud usque in finem perseverantia donum: & cap. 13. definit illud non posse aliunde haberi nisi ab eo qui potens est cum qui stat statuere. Merito autem sic definit quia sic habetur ex multis scripturis Philippensium 2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate: Quibus verbis (inquit Anselmus) voluit ipse sanctos suos de perseverantia boni, non in suis viribus sed in Domino gloriarì. 1. ad Corinthios 1. Gratias ago Deo meo, &c. Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine in die aduentus, &c. Deinde idem vbiq; prædicat

Augustinus verb. gr. lib. de bono perseverantia cap. 8. Quicumque stat, voluntate Dei stat, potens est enim statuere illum Deus, non ipse se ipsum sed Deus. Videnturque aperta ratio, quia non est dubium quin tota discretio electi à reprobo, & ipsa prædestinatio speciale sit Dei donum, hoc enim sæpè probatum est, sed in illa perseverantia, & gratia finali tota consistit discretio electi à reprobo, cum Deus ventilabrum in manu habens paleam à tritico separat, ergo illa perseverantia donum est speciale, maximum beneficiorum Dei, scopus omnium gratiarum quem qui attigerit saluus est in æternum. Præterea magnum sine dubio est Dei donum & specialis opus benevolentia quod mors contingat in puncto aliquo sequente tempus cum nullum ab homine violatum est præceptum graue: hoc enim multa includit Dei beneficia providentiam videlicet specialem, quæ auertit tentationes, & occasiones peccandi, quæ anticipet peccata illa quæ præuidentur futura si vixerit. Donum autem perseverantia in eo consistit quod mors eo tempore homini contingat in quo nullum habet homo peccatum ergo illud est eximium Dei beneficium.

Potest autem illud contingere primò si adultus perseveret longo tempore in gratia eamque longo tempore inter pugnas & procellas seruet integram & illæsam: & ad hoc nemo non videt quanta exigantur & quam eximia Dei beneficia, quod Isidorus Pelusiota comparat lucernæ quæ supra nauim aliquam, aut scopulum in medio mari, ventis flantibus, fauientibus tempestatibus, tumente mari, suum tamen seruaret lumen, inextincta manens.

Secundò, si adultus vel puer eo ipso tempore moriatur quo iustificatus est à peccato antequam peccauerit, aut etiam peccare potuerit: & hoc etiã speciale donum est providentia, quæ vel auertit, vel præuertit occasiones omnes peccandi: nam etiam de pueris verum est quod nemo perseverat id est inuenitur in mortis articulo habere gratiam sine speciali Dei dono, & beneficio vt testatur Augustinus l. de bono perseverantia cap. 2. colligitque c. 14. ex Sapientia c. 4. Placita enim erat Deo anima illius, propterea properauit educere illum Deus de medio iniquitatum.

Certum est quartò, perseverantiam illam finale non posse aliud esse quàm collectionem plurium auxiliorum partim interiorum, partim exteriorum, quibus homo præseruatur infallibiliter à peccatis vsque ad tempus mortis, aliquando enim homo tunc cum perseverat, est in statu in quo non obligatur elicere vllum actum positium sed tantum abstinere à peccato per puram negationem actus, & tunc sufficienti illi auxilia omnino extrinseca, videlicet impedire occasiones peccandi & tentationes, mors vel properata vel omnino naturalis, vel eo tempore contingens quo non potest homo peccare. Aliquando ita perseverat vt teneatur elicere plures actus bonos ad quod pluribus eget auxilijs efficacissimis, quibus natura tunc debilitato corpore infirmior cõfortetur ad repellendos maiores tunc dæmonis insultus eo potissimum tempore insidiantis quo imminet vitæ finis & de summa salutis decretoria est pugna.

Differt autem donum istud perseverantia quod omnibus electis commune est, à confirmatione in gratia quæ data non est nisi eximij quibusdam Dei amicis. Confirmatio enim in gratia includit plures gratias congruas, ita continuatas per longum tempus vitæ, vt deinceps nullo peccato iustus ille contaminetur. donum autem propriè dicitur solum finale quoniam eam multa sæpè peccata mortalia interrumpunt.

Quid sit
perseuerantia finalis.

SECTIO